

# EPISTULA LEONINA

## CLVI

HEBDOMADALE  
PERIODICUM LATINĒ SCRIPTUM,  
QUOD ĒDITUR  
E DOMO EDITORIĀ INTERRETIALI  
CUI NOMEN EST  
**LEO LATINUS**



<http://www.leolatinus.de/>

N.B.! EPISTULAS LEONINAS ACCIPIS **GRATIS** ET **SINE ULLĀ OBLIGATIONE**. NAM LEO LATINUS PUTAT HOMINIBUS LATINAM LINGUAM DISCENTIBUS AUT DOCENTIBUS CORDI ESSE VERBA LATINA. **SI TAMEN TALES EPISTULAS ACCIPERE NON VIS, RESCRIBE HOC NOBIS: TUM STATIM NOMEN TUUM EX INDICE ACCEPTORUM TOLLEMUS.**

HŌC TEMPORE DUO FERĒ MILIA HOMINUM LATINĒ DOCTORUM ACCIPIUNT EPISTULAS LEONINAS ELECTRONICĒ MISSAS. EPISTULAS LEONINAS **I-CLV** INVENIES IN INTERRETI SUB HAC INSCRIPTIONE, QUAE SEQUITUR:

<http://ephemeris.alcuinus.net/leonina/>

MAXIMĒ ID CURAMUS, UT COPIAM VERBORUM LATINORUM CONVENIENTER AUGEAMUS ET TEXTŪS MODERNOS CUIUSVIS ARGUMENTI QUAM OPTIMĒ IN LATINUM SERMONEM CONVERTAMUS.

ROGATUR, UT MANUSCRIPTA MITTANTUR VIĀ ELECTRONICĀ. MENDA SIVE GRAMMATICA SIVE METRICA, QUOAD FIERI POTEST, TACITĒ TOLLUNTUR.

EN HABES EPISTULAM LEONINAM  
**CENTESIMAM QUINQUAGESIMAM SEXTAM (156) !**

## ARGUMENTA

DE FEMINISTRIARUM PUDICITIĀ IMMODERATĀ.....	04 - 15
HODIERNA ARS DEGENERATA.....	16 - 22
DE MULIERUM EXPROPRIATIONE.....	23 - 25

ECHŪS VOCES ( <i>Stroh, Kovács</i> ).....	26 - 27
---	---------

LEO LATINUS OMNIBUS HOMINIBUS LATINITATEM AMANTIBUS  
SAL.PL.DIC.

### ***Cara Lectrix, Care Lector,***

*maximê gaudeo, quod mihi licet Tibi offerre Epistulam Leoninam centesimam quinquagesimam sextam. –*

*Hac Epistulâ Leoninâ agitur de feministriis earumque furore iconoclastico. Tres auctores Helvetici periodici hebdomadalis, c.t. Septimana mundana («Weltwoche»), variis rationibus referunt de damnis cultualibus et oeconomicis, quae fiunt feministriarum furore. Multa invenies sociologica, oeconomica, artificiosa, formosa, velut puellas umbelliferas, numeriferas, sagittularias necnon **Marylinam Monroe** formosarum formosissimam, ne dicam alteram Venerem...*

*Quae cum ita sint, hanc Epistulam Leoninam 156 tolle et lege et laetare...!*

Medullitus Te salutat  
**Nicolaus Groß**  
Sodalis Academiae Latinitati Fovendae



<http://www.leolatinus.com/>

**LEO LATINUS**

**Senden ex oppidulo Bavariae Suebicae,  
Die Dominicâ, 04. m.Mart. a.2018**



## »QUAM PULCHRA ES, AMICA MEA...!«

**VULGATA, Canticum canticorum 4,1-4,7** »Quam pulchra es, amica mea, quam pulchra es! Oculi tui columbarum absque eo quod intrinsecus latet. Capilli tui sicut greges caprarum, quae ascenderunt de monte Galaad. <sup>2</sup>Dentes tui sicut greges tonsarum, quae ascenderunt de lavacro omnes gemellis fetibus et sterilis non est inter eas. <sup>3</sup> Sicut vitta coccinea labia tua et eloquium tuum dulce. Sicut fragmen mali punici ita genae tuae absque eo quod intrinsecus latet. <sup>4</sup> Sicut turris David collum tuum quae aedificata est cum propugnaculis mille clypei pendent ex ea omnis armatura fortium. <sup>5</sup> Duo ubera tua sicut duo hinuli capreae gemelli, qui pascuntur in liliis. <sup>6</sup> Donec adspiret dies et inclinentur umbrae, vadam ad montem murrae et ad collem turis. <sup>7</sup> Tota pulchra es amica mea et macula non est in te!«

# DE NOVĀ FEMINISTRIARUM<sup>1</sup> PUDICITIĀ IMMODERATĀ



**Hylas et nymphae. A.1896 pinxit *John William Waterhouse*.**

“DIE WELTWOCHE”, d.8. m.Febr. a.2018, n.6., p.16-18: „*Die neue Prüderie*“ (Katharina Fontana).

***Scriptis Katharina Fontana, in Latinum convertit LEO LATINUS.***

**Altercatio, quae fit de *sexismo*, magis magisque fit hysterica et ipsis feminis adversa. Quicumque (sive vir sive femina) non vult oboedire novo feministiarum codici morali, patitur opprobria et castigationes.**

Adhuc rideatur de istâ re. *Clara Gannaway* curatrix Pinacothecae Mamuciensis<sup>2</sup> praeceperat, ut pictura quaedam pictoris *Iohannis Vilelmi Waterhouse* de pariete demeretur perque unam septimanam

<sup>1</sup> \*fēministria, -ae f. orig. *Feministin*. cfr citharistria, -ae f. (forma masculina: citharista, -ae m.).

<sup>2</sup> Pinacothēca Mamūciēnsis i.q. *Manchester Art Gallery*. Mamucium sive Mancunium i.q. *Manchester*, cfr <https://en.wikipedia.org/wiki/Mamucium>



dempta maneret. Hac picturâ a.1896 pictâ, quae inscribitur »*Hylas et nymphae*«, monstratur, quomodo Hylas pulcher heros mythologiae graecae a seminudis temptatricibus illiciat in stagnum nymphaearum sibi fatale.

Curatrix huius musei Mamuciensis loco picturae orbato voluit efficere, ut disceptaretur de modo corporis feminini a pictoribus exponendi. Hac re nuditati nympharum lepidarum, quâ spectatores per longum tempus suavissimê afficiebantur, subito visa est inesse aliquid offensionis. Licet hoc experimentum unius septimanae credas nihil esse nisi erratiunculam ab aliquâ curatrice studiis antisexisticis perturbata effectam, sed dolendum est, quod haec res non est tam facilis explicatu. Nam licet istaec actio in Museo Mamuciensi facta sit usque nunc omnium illepidissima, tamen haec actio tantummodo est unum exemplum e multis huiusmodi, quae apparent in aliis quoque rebus.



**ECCE IACOBUS BOND SUPERSPECULATOR 007**  
 QUI SIBI NON TEMPERAT, QUIN AVIDĒ PALPET PERMULCEATQUE  
 CLUNES BELLAE PUELLAE

Itaque hōc tempore etiam melodramata severē perquiruntur, quia multae personae mulierum melodramaticae – sive *Carmen* sive *Tosca* sive *Violetta* – in fine delabuntur mortuae. Ergo facile fit, ut obiciatur *misogynia*. Scilicet opera melodramatica scripta esse a viris, et hoc hodie iam *per se* est suspiciosum. In operibus litterarum et cinematum examinandis iam pridem quaeritur, utrum talia sint misogyna necne. Ut exemplum afferamus: Incertum est, quae sors futura sit illius *Iacobi Bond superspeculatoris secreti 007*, qui agit mandatu suae maiestatis Reginae Britanniae. Idem vir virilitate abundans praesertim in initiis suis lascivus erat subigitator, qui numquam sibi temperaret, quin puellis suis concubinis numerosis clunes palparet permulceretve neque semper se praestabat virum cicuratum iura mulierum satis magni facientem. Num tempore illius *#MeToo* adhuc liceat monstrare cinemata Iacobi Bond, nunc multis locis plus minusque graviter disceptatur.

Adhuc sunt, qui putent tantummodo fluctum fieri in simpulo, qui mox sedetur. Furorem, quo hodie in provinciâ artium animadvertatur in sexismum verum vel putativum, non diutius perduraturum esse, sed feministrias mox aliquando ad sanitatem reversuras esse. Quidnam fieret de museis? Feministriae si summâ cum severitate recenserent artificia illis insita omnemque mammam mulieris intectam censurâ notarent, oeci museorum mox essent evacuati. Necnon necesse esset feministrias purgatrices morales recedere in tempora diu, immo diutissimê transacta, usque ad *Venerem Willendorpiensem* ubique terrarum illustrissimam, quae propter formas sui corporis uberrimas non solum habetur pro symbolo fertilitatis, sed etiam pro puellâ aetatis neolithicae affixoriâ<sup>1</sup>.



**ECCE VENUS WILLENDORPIENSIS**  
OBIECTUM LUBIDINIS VIRORUM NEOLITHICUM

<sup>1</sup> puella \*affixōria *pin-up girl*

### Dissidium feministarum

At spiritus temporis socialis non solum adversatur bellis artibus, sermoni bellarum litterarum personisve cinematum ficticiis, sed saepius saepiusque etiam mulieribus vitae realis. Exempli gratiâ nuper decretum est, ne in formulae primae curriculis autocineticis *puellae umbelliferae* sive *numeriferae* (*grid-girls*) pergerent fungi munere suo.



ECCE PUELLAE UMBELLIFERAE (*grid-girls, umbrella girls*)





ECCE PUELLA \*NUMERIFERA (*grid-girl*)

Hae iuvencae, quae vesticulis angustis vestitae in curriculi initio steterunt titulosque numeris autoraedariorumque nominibus instructos sublatis tenuerunt, nunc non iam adhibentur ad curricula facienda; neque iam adhibentur *puellae sagittulariae*<sup>1</sup> vesticulis breviculis indutae, quae sagittulatores usque ad scaenam comitatae certaminibus quendam splendorem attribuebant muliebrem. Nuper quadam in Britanniae emissione televisificâ duae puellae sagittulariae amarissimê lamentatae sunt, quod nunc operulam suam, quam semper fecissent magno cum gaudio, essent perditurae. Quae puellae pulchrae non potuerunt, quin audirent quandam feministriam se vituperantem, quod mulieribus puellisque exemplum dedissent malum.



ECCE SAGITTULATOR CUI APPOSITAE SUNT DUAЕ PUELLAE SAGITTULARIAE

<sup>1</sup> **puella** \***sagittulāria** *orig. walk-on girl*. Usque nunc in certaminibus sagittularum tales puellae solebant comitari sagittulatores ad scaenam. **Sagittulas** (sc. iaculas, non arcuarias) voco **darts** (*cfr fr. flêchettes, ital. freccette*); verbum temporale confinxī, q.e. **sagittulāre, -ō** (*cfr sagittāre, -ō*), et nomen actoris (**sagittulātor, -ōris** m.) et adiectivum \***sagittulārius, -a, -um.** .



Eadem feministria addidit esse quidem dolendum, quod puellae nunc ab opere vacarent, sed numquam fieri progressum sociale nisi nonnulli quidem homines iacturam facerent.

Etiam si quis non dolet, quod nunc desunt illae umbelliferae atque sagittulariae, tamen exemplo illarum intellegat expeditionem feministrialem<sup>1</sup>, quae dicitur *#MeToo*, his septimanis novam directionem ingressam magis magisque degeneratam esse ad rixam inter ipsas mulieres agendam. Viri, nisi ipsi accusantur delictores<sup>2</sup> putativi, in istâ altercatione implacabili interim nullam iam personam gerunt nisi mutam. In initio nonnullus quidem vir fortiter verbis extulerat distinguendum esse inter veras subigitationes<sup>3</sup> et blandimenta parum decentia necnon opprobria viris dicta in summâ modum excedere. Hodie voces virorum de hac re criticê loquentium vix umquam audiuntur. Hoc viris ne in vitium vertatur: Aut viros taedet istius rei lamentis mulierum per septimanas iam auditae aut viri nolunt periculum subire, ne verbis ingratis dictis ipsi impetum activistriarum passi increpentur nomine *sexistarum*<sup>4</sup>.

Etiam memoratu dignum est paucos tantum viros accusatos hodie adhuc subire iuridicam causam iustam, plerosque solâ suspicione coram publico dicuntur culpam contraxisse. Hoc apparet e casu *Diterici Wedel* dissignatoris televisifici, cui praesertim a diurnariis ephemeridis *Zeit-Magazin* obicitur, quod actrices vehementer subigitaverit. Num haec relatio suspicionum, additis quibusdam testium dictis documentisve, sufficit ad dissignatorem iam condemnandum? An hōc modo condemnandi homines recidunt in ὄστρακισμόν (i.e. suffragia testarum) Atheniensium antiquorum – ut videtur iurisconsultis? Nonne etiam viris est ius se defendendi in iuridicâ causâ iustâ?

<sup>1</sup> **expeditiō** \*fēministriālis *feministische Kampagne*.

<sup>2</sup> **dēlictor**, -ōris m. *Täter*.

<sup>3</sup> **subigitātiō**, -ōnis f. *sexueller Übergriff*. cfr. PLAUT.capt. 1030. Spectatores, ad pudicos mores facta haec fabula est, neque in hac **subigitationes** sunt neque ulla amatio nec pueri suppositio nec argenti circumductio, neque ubi amans adulescens scortum liberet clam suum patrem.

<sup>4</sup> \***sexista**, -ae m. *Sexist*.



**CATHERINE DENEUVE (\*a.1943)**

**Solidaritatem confessione publicâ ostendendam esse**

Talia contra dicta hodie non libenter audiuntur. Regimen disceptandi tenetur a feministis, quae a consortibus suis sexualibus postulant, ut solidaritatem praestent confessione publicâ faciendâ.



**PRAEMIUM GLOBI AUREI**

Mense Ianuario in Praemio Globi Aurei attribuendo mulieres celeberrimae monitae sunt, ut vestimentis atris gerendis manifestarent se reprobare molestaciones sexuales.



**PRAEMIUM GRAMMOPHONI**



**MARGARET ATWOOD (\*a.1939)**

Brevi post in Praemio Grammophoni attribuendo vesti affigendae erant rosae albae aut cameris obtendendae. Mulieres participantes, quae huic dictato non oboediverunt, habitae sunt proditrices rei bonae. At omnino non tolerantur mulieres, qui publicè recusant expeditionem #MeToo et audent ea dicere quae multae cogitant: hanc expeditionem feministrialem immoderatam factam esse vesanam instigationem virorum, mulieres non esse homines auxilii expertes, sed reverâ ipsae se defendere posse contra manûs ingratas genibus suis impositas.

Indignatio etiam maior est, si mulieres expeditioni adversantes sunt tam illustres quam *Margareta Atwood* auctrix Canadiana et *Catharina Deneuve* actrix Francogalla. Margareta, quae fabulâ suâ, c.t. »*The Handmaid's Tale*« ad cinema redactâ illustrior est quam umquam antea, monuit, ut mulieres reputarent non omni mulieri, quae accusaret virum delicti sexualis, in omni casu esse credendum; mulieres quoque interdum pronas esse ad mala et scelera.

*Catherina Deneuve* et unâ cum eâ undecentum aliae Francogallae in epistulâ quadam apertâ praemonuerunt, ne motu feministriarum efficeretur *clima* societatis *totalitarium* atque *reactionarium* et libertas sexualis periclitaretur.

Hac reprobatione Margareta atque Catharina aliaeque mulieres aetate et experienciâ provectae – quamvis sint coryphaeae motûs feminarum – ipsae impetum passae sunt feministiarum iuniorum militantium, quae dixerunt Catharinam Margaretamque esse mulierculas aniles, oportere, ut istae desinerent de hac re disputare. Mirandum est, quod activistriae<sup>1</sup> feminismi, quae putant se ubique indagare sexismum sexûsque feminini discriminationem, sibi non temperant, quin de aliis feminis irreverenter loquantur propter illarum aetatem maiorem. Cum ex aliis rebus tum ex hac irreverentiâ clarê apparet, in circulis iuniorum feministiarum quanta interim dominetur opinionum dictatura.

### **Mores feminarum**

At feministiarum non solum inter se pugnant iuniores et seniores. Feministriae de sexismo altercantes etiam etiamque vehementius adversantur talibus feminis, quales sunt illae puellae umbelliferae atque sagittulariae, quae lubenter ostentant femininam suam formositatem laetêque fruuntur lubidine virorum rectitudinem politicam flocci facientes. Talibus feminis effectum novae pudicitiae immoderatae afferuntur difficultates. Scilicet interdum mulieres emancipatas aegrê pati, quod aliae mulieres coram viris se praebent vanas puellas stultulas, mammarum ubertate, exilitate cerebri praeditas. Scilicet facile fit, ut mulieres emancipatae reprehendant mulieres ferê nihil curantes nisi faciem formamque corporis nimisque apertê atque manifestê stimulantem virorum lubidinem.

His omnibus efficitur imago mulierum, quam mulieres emancipatae absolutê reprobant. Num hoc est causae, cur prohibeatur, ne puellae leviter vestitae ad publicum prodeant? Serione denuo publicê disputandum est, mulieribus quanta permittatur profunditas capitii, quanta gunnae brevitatis, quanta rubedo stili fucatorii? Hoc enim actrices germanae proponunt in proximo Festo Cinematographico Berolinensi (*Berlinale*) tractandum. Licet talia colloquia ad vestimenta

---

<sup>1</sup> \***activistria**, -ae f. *Aktivistin*. cfr \***activista**, -ae m. *Aktivist*. Sit venia his verbis parum pulchris! Leo Latinus vult verba originalia quam fidelissimê in Latinum convertere. Etiam verba \*communismi et \*communistae sunt parum Latina, tamen vix evitabilia. Timeo, ne etiam confictiones, quales sunt \*sexista et \*extremista et \*populista, comprobandae sint, ut evitentur verba puriora sed parum intellegibilia et circuitiones verborum incommodae. Verba purê Graeca locis \*communismi et \*communistae ponenda essent \*coenonismus et \*coenonista – sed quis haec intellegit? Ceterum Latinitas viva nostra solet multo purior esse quam moderna lingua nationalis.



atque fucationes pertinentia iuvent atque delectent coryphaeos cinematographiae, praesertim cum actrices iisdem melius innotescant vehementiusque attrahant diurnarios. At reverâ talibus colloquiis publicis nuntius emittitur alius, qui est iste: »Bonae puellae se vestiunt decenter, nullae puellae hoc non faciunt nisi malae«.

Hoc est absurdum: Periculum est, ne disceptatio de sexismo facienda, quae potuit esse magna liberatio mulierum, nunc convertatur in rem contrariam, id est in censuram feminarum moralem. Licet sint quaedam imagines mulierum a viris excogitatae molestissimae, etiam multo intolerabilius est, quod feminae feminis interdicannt ius ad libitum suum vivendi. Quod aliae mulieres sibi adrogant decernere, quânam liceat re aliis victum sibi parare. Quod aliae arroganter docent alias, quonam modo mulier moderna oporteat operetur et quonam aspectu eadem oporteat sit.

Nonne talia praecepta moralia nobis olim iam fuerunt? At nunc non iam sunt viri abderitani pusillanimi mores traditos laudantes, qui praecipiant, quid feminae faciant desinantve facere, sed feministriae bene eruditae, quae alias feminas saepe minus privilegiatas ad rectam viam volunt ducere et ex »violentia structurali« liberare – quidcumque significat istaec ubiquitaria notio detrita. At reverâ mulieres non sunt victimae societatis, quae debeant liberari e servitute. Neque victimae serviles sunt illae mulieres, quae in certaminibus autocinetorum sive sagittularum libenter lascivêque spectanda praebent corpora sua formosa atque mammosa.

### **Vestimenta »turpia«**

Licet pertractare hanc cogitationem. Mulieres multis professionibus funguntur, quae, si aspectantur per feministriarum perspicillum, non sunt exempla statûs emancipati, quia in iisdem multum valet aspectus formosus aut quia iisdem redduntur exempla personarum stereotypa. Quid dicamus de hospitâ nundinarum<sup>1</sup> aut de comitissâ volaticâ<sup>2</sup> aut de assistrice, a quâ praeceptorum apportanda est cafea bibenda: Num talis operula administrativa satis digna est, quae fiat a muliere?

<sup>1</sup> hospita nundinârûm *Messehostess*.

<sup>2</sup> +comitissa volâtica *Flugbegleiterin*.



**MARYLIN MONROE (1926-1962)**  
**ALTERA VENUS OBLIVIONE INDELEBILIS**

A.1953 quidam vir nomine *Hugh Hefner* Americanos felicitavit periodico novi generis, c.t. *Playboy* (i.e. *Voluptarius*). Iam in primo fasciculo edito Hefnerus praebuit rem mirificentissimam: Nam medio fasciculo insertum erat toechocollum explicabile, cui infuit *Marylin Monroe* actrix lascivissimae nuditatis, formositatis splendidissimae. Praeter res eroticas *Voluptarius* insignis erat textibus excellentissimis. Tales auctores, quales fuerunt *Jack Kerouac* et *John Irving* et *Vladimir Nabokov*, scribebant symbolas in *Voluptario* divulgandos, viri politici, quales fuerunt *Jimmy Carter* et *Jassir Arafat*, unâ cum *Voluptario* colloquia faciebant interrogatoria. At interim offensam contraxit hoc periodicum, quo olim feliciter inter se congregabantur erotica atque intellectualia: Nostra enim aetas insignis est pudicitiae et pornographiae extremitatibus, et omnia, quae iisdem intersunt, veniunt in suspicionem. A.2016 editores *Voluptarii* Americani statuerunt, ut abstinerent ab imaginibus feminarum nudarum publicandis, anno post hoc statutum irritum fecerunt. Neutrâque re impeditum est, ne venditio huius periodici olim florentissimi etiam etiamque raresceret.

E motu antisexismi tumultuoso apparet, quanta sit distantia inter circulos feministiarum principales et maiorem partem mulierum »vulgarium«. Iam pridem mirum est lectu et auditu, modernae feministriae quam laboriosê tempus terant in prolixis tractatibus disquirentes, quinam sermo sit *generismo*, i.e. ideologiae *gender mainstreaming*, quam aptissimus et iustissimus, quasi ex eo pendeat viri et feminae aequalitas. Necnon mirum est, tales feministriae quantâ cum mentis obsessione pugnent de sexuum partibus ratis in praesidio negotiationum accipiendis, quamquam tales partes ratae nulli feminae prosint nisi perpaucis privilegiatis.

Nunc feministriae etiam progressae sunt gradu magno: Nunc eadem de suggestu applaudunt, si vestimenta »turpia« e publico tolluntur. Si mulieres »turpes« privantur operâ quaestuosâ. Si picturae »turpes« demuntur de pariete pinacothecae.



**HANC SYMBOLAM**

**A CATHARINA FONTANA SCRIPTAM**

**IN TURICENSI PERIODICO HEBDOMADALI**

**C.T. EST SEPTIMANA MUNDANA**  
*(Weltwoche)*

**PUBLICATAM**

**IN LATINUM CONVERTIT**

**NICOLAUS GROSS**

**LEO LATINUS**

„DIE WELTWOCHÉ”, Turico in urbe Helvetiae, d.8. m.Febr. 2018, N.6., p.18-19: „Entartete Kunst heute“ (Peter Keller).

**Societas**

## **HODIERNA ARS DEGENERATA**

*Scriptis Peter Keller, in Latinum convertit LEO LATINUS.*

**Arbitrae morum plus plusque volunt etiam vetustiora artificia tollere e publico. Utinam interdicator ne pergant operari istae barbarae rerum historicarum ignorantissimae.**




### **CARMEN HISPANICUM QUOD PEPIGIT EUGEN GOMRINGER »POETA CONCRETUS«**

Eheu saevit pudicitia furibunda. Cooperatores *Prosopobiblii* (*Facebook*) prohibent, ne in interreti appareat imago *Septimanae mundanae* (*Weltwoche*) involucralis, cui insunt tres Gratiae – non vestitae – a *Raphaele* pictore renascentiae ingeniosissimo pictae. Mamucio in urbe Britanniae curatrix pinacothecae iussit de pariete demere picturam a.1896 a *Iohanne Vilelmo Waterhouse* pictam, c.t. »*Hylas et nymphae*«. Mandatariae mulierum feministriaeque studentissae inter se consociatae id assequuntur, ut color inducatur carmini *Eugenii Gomringer*, poeta poseos concretae eminens, quo usque nunc decorata erat pars frontalis *Athenaei Operis Socialis*




*Berolinensis* (*Berliner Hochschule für Soziale Arbeit*). Arbitrae morum immisericordes in omnibus his artificiis invenerunt »sexismum«; feminas illis humiliari »obiecta« lubidinis virilis illicitae.



**RAFFAEL: Tres Gratiae. ca. 1503-1505.**

Tria haec exempla historiae artis figurativae si consideramus, intellegimus, quam mirê indoctae sint istae, quae purgare student musea a picturis turpibus. *Vilelmus Waterhouse* picturâ suâ aestheticâ expressis verbis et – quod sub aspectu hodierno est ironicum – adversatus est molestae pudicitiae aetatis suae, i.e. victorianae. *Eugenius Gomringer* auctor boliviano-germanicus habetur pro conditore modernae artis lyricae theodiscae et *Raphael* dicitur esse archetypus aetatis suae, qui celebravit individuum hominis inventum et – ut *Michelangelus* hoc fecit in Capellâ Sixtinianâ – ipsam historiam creaturae biblicam monstravit nuditate quadamtenus opulentâ. Nunc omnia, quae displicent pudicitiae sub personâ »anti-sexismi« aegrê occultatae, censurâ notantur, de parietibus demuntur, extinguuntur coloribus inductis, in fine fiunt funditus invisibilia. Ita

fit, ut quodam cum timore exhilarati quaeramus, quodnam artificium proximum removeatur? Utrum removebitur *Henrici Matisse* »*Femme nue drapée*« - femina nuda in amiculo matutino circumiecto pandiculans? An *Pauli Picasso* Minotaurus lubidosus, qui appropinquat formosae feminae dormienti? An mox praepositis Musei Berolinensis Publici declarandum erit, quare adhuc retineant in collectione suâ picturam ipsius *Caravaggio* (1571-1610) classicam, scilicet *Amorem nudum* âlis opacis instructum, qui habet formam adolescentuli?



**A.1936 PINXIT HENRI MATISSE (1869–1954)**  
***Femme nue drapée***



**A. 1939 PINXIT PABLO PICASSO**  
***Minotaure caressant une Dormeuse***



**AMOR VICTORIOSUS**  
A.1602 pinxit Caravaggio.

**Num scribenda sint carmina lyrica *generismo* sensibilia?**

Cum *Eduardus Manet* 1865 primo in exedrâ Parisiensi »*Olympiam*« exponeret – meretricem nudam iacentem, quae quadam cum conscientîâ sui lascivâ prospicit in aspicientem -, huius operis causâ factum est scandalon artis suae aetatis maximum. Parisienses indignati sunt de pictae rei indecentiâ deque novo modo pingendi. At Eduardo ipsi eiusque amicis, velut poetae *Carolo Baudelaire*, »*Olympia*« fuit una e picturis modernis, eademque quadamtenus victoriosa, quae viam patefecit artificiosae libertatis novo modo intellegibilis, cui inclusa erat etiam liberatio sexualis, quae nobis proderat usque tempus hodiernum. Quae pictura temporibus sequentibus non est reclusa, sed altius suspensa, catervae calumniantium inaccessibleis. Nunc novum momentum temporis venit »*Olympicum*«, quod videtur aliter evadere: sicut factum est de picturis *Waterhousii* et *Balthusii* – aut

cuiuscumque alius pictoris, qui fulmine sexismi pontificali<sup>1</sup> percutitur aut percutietur.



**ECCE OLYMPIA. QUAM A.1863 PINXIT ÉDOUARD MANET.**

Quod pudicitiae defenstrices hodiernae se ipsas credunt esse protoporae<sup>2</sup> propugnatrices progressivas, non est contradictorium, sed diagnosticum: moralista in dubio moralitatem suam (!) praefert ingenio artificis indomabili. Sic semper iam factum est. Talibus hominibus persuasum est ab artifice serviendum esse bonis moribus. Ergo expectemus cinematographa vegana, theatra bestias tutandi, carmina lyrica generismo sensibilia. E modo, quo feministriae nunc utuntur artificiis olim modernis, apparet fieri posse, ut ars moderna sit antimoderna. Propugnatrices autem istius artis antimodernae ignorant nucleum omnis artis primigenium: Quae est expers temporis temporisque adversa. Artificium autem eo est temporis expers, quod nos e tempore transacto aspectat oculis temporis praesentis. Itaque artificium est aliquid ,nunc', quod iam semper aderat.

### **Vastatio cultualis**

Qui hanc familiaritatem alius generis non patitur, immo eradere vult in praeteritum, is agit historiae negligens ideoque more barbarico. Hoc

<sup>1</sup> fulmen pontificāle *Bannstrahl*.

<sup>2</sup> prōtoporīa, -ae f. *Avantgarde*.



est custodis morum, cui persuasum est suos mores esse unicê et absolutê bonos neque sufficit sibi subicere praesentia. Talis custos morum etiam ea vult condemnare atque purgare, quae e temporibus praeteritis eminent in tempus praesens – hoc facere vult sine ullo sensu atque empathiâ contextûs artis.



**Historici artis figurativae hanc puellam aestimant habere duodecim tredecimve annos: "Theresa somnians", quam a.1938 pinxit Balthus. Nunc activistae neo-eboracenses petitione interretiali petunt, ne iam monstretur haec pictura in museo.**

*Marci Twain* opus, quod inscribitur »*Huckleberry Finn*«, opus emancipandi excellentissimum, »retractatur«, quia inest notio aetati Twainianae typica ad nigritanos spectans, quae est »*nigger*«. Aut a praepositis Metropolitani Musei Neo-Eboracensis postulatur, ut *Balthusii* »*Theresa somnians*« a.1938 picta removeatur, quia positione Theresae corporali lascivâ allicantur homines paedophili.

Hodiernae impugnatrices sexismi ipso eo, quod agunt sine conscientiâ historiae, in memoriam revocant similitudinem historicam: Etiam censores socialismi nationalis praeter homines resve propter phyletismum suum sibi exosas adversabantur iis artificiis, quae sibi videbantur esse tantae lascivitatis venereae, ut nocerent virtutibus mulieris germanicae. Talia artificia dicebantur esse degenerata, e locis publicis removebantur et in fine destruebantur. Intacta relicta sunt artificia ineptula et politicê recta normisque socialismi nationalis

respondentia. Hodiernae arbitrae morum artificia censurâ notantes similibus sunt mentium angustiis ac illi censores nacistae. Artificiis prohibendis et obvelandis cultus civilis vastatur.



**HANC SYMBOLAM**

**A PETRO KELLER SCRIPTAM**

**IN TURICENSI PERIODICO HEBDOMADALI**

**C.T. EST SEPTIMANA MUNDANA**  
*(Weltwoche)*

**PUBLICATAM**

**IN LATINUM CONVERTIT**

**NICOLAUS GROSS**



**LEO LATINUS**

“DIE WELTWOCHE”, d.8. m.Febr. 2018, N.6., p.19: „*Enteignung der Frauen*“ (Beat Gygi).

Oeconomia

## DE MULIERUM EXPROPRIATIONE

*Scriptis Beat Gygi, in Latinum convertit LEO LATINUS.*

**Expeditionibus feminismi radicalis intoxicatur clima veneris voluntariae. Hac re feminis aufertur possessio magna.**



**Oblatum et quaesitum: Instinctus primigenius (»*Basic instinct*«).**

Altercationes de sexismo habitae et postulationes praeceptorum agendi generaliter etiam quaeritur, quomodo in rebus sexualibus eroticisve dispensanda sint oblatum et quaesitum. Mutua permutatio privata et voluntaria praestationum, quae spectant ad sexualitatem, exosa est illis feministis expeditionem *#MeToo* propagantibus. Ratione oeconomicâ si rem consideramus, dicendum est multis illis accusationibus subigitandi sêro factis nunc tolli aut renegari contractûs permutandi priores. Num iam contractus fit, si qui vir cum feminâ agit quadamtenus more erotico? Non solet contractus fieri sensu angustiore, sed latiore. Nam permutatio rei alicuius mutuâ non fit nisi convento hominum plus minusve rei consciorum. In casu simplicissimo femina et vir nihil faciunt nisi invicem inter se

permutant bona naturalia, id est voluntariê inter se concumbunt et ambo sentiunt rationem constare. Dare aequiperatur accipiendo.

Res autem fit difficilior, si oblatum et quaesitum solâ permutatione naturalium non sunt inter se aequalia; sed haec res solet saepius fieri quam illa. Sunt numerosae disquisitiones factae, e quibus colligitur viros saepius venerem quaerere quam feminas. *Catharina Hakim*, sociologa Londinensis scholae oeconomicae cum in variis symbolis scientificis tum in libro a.2011 edito, c.t. »*Honey Money. The Power of Erotic Capital*« (i.e. Pecunia mellita. Quantum valeat capital eroticum), demonstravit ita fieri, ut viri laborent inopiâ sexualitatis. Ergo mercatus rerum sexualium eroticarumve naturaliter non est in aequilibrio.

Quâ in difficultate sunt dolorosâ, viri rem ratione pensitantes, ut accipiant sexualitatem additiciam, parati essent ad praemium sive pretium additicium solvendum. Inde sequitur feminis esse occasionem negotii permutatorii: Quae illud additamentum eroticum praebent, pro quo accipiunt praemium. Hoc sive est pecunia, sicut fit in prostitutione, quae dicitur esse »mercatura mundi vetustissima«, sive alia res data, velut ascensus professionalis, auctoritas socialis, connubium ineundum. Hôc in mercatu mulieres generaliter plus valent quam viri, quia sunt ipsae mercis desideratae eroticae possestrices, viri autem sunt rogatores.

### **Capital eroticum**

Haec condicio mulierum multum valet. Catharina Hakim eandem vocat capital eroticum. Usque nunc praecipuê in usu fuit notio capitalis humani, quâ dicitur, quantam potestatem oeconomicam, quantas possibilitates salarii homo habeat suâ eruditione, facultate, peritiâ. Capital autem eroticum similiter se habet; quod significat possibilitates commodi oeconomici accipiendi, quae sunt alicui homini pulchritudine, attractivitate sexuali, favore aliorum. Capital eroticum mulierum solet esse maius quam virorum, qui inopiâ suâ sexualitatis sunt rogatores.

Quidnam nunc fit in altercationibus expeditionis istius #MeToo? Talibus feministiarum expeditionibus multum capitalis erotici



destruitur. Praecipuê expropriantur illae mulieres, quae in mercatu erotico successu cum felici ûti possent suis facultatibus. Sexismi accusationibus suspicionibusque intoxicatur clima permutationis voluntariae, quae fieri solet secundum synthema q.e. »do venerem ut des praemium«. Feministriae eo quod postulant, ut officialiter praecipiat, quomodo sexûs inter se agant, volunt tollere libertatem contractuum et regulare mercatum veneris, ut noceant competitricibus attractivioribus. Ita fit, ut feministriae radicales plus minusve idem faciant ac custodes societatum patriarchalium: volunt enim alias feminas impedire, ne possibilitates ad effectum adducant.



**HANC SYMBOLAM**

**A BEATO GYGI SCRIPTAM**

**IN TURICENSI PERIODICO HEBDOMADALI**

**C.T. EST SEPTIMANA MUNDANA**  
*(Weltwoche)*

**PUBLICATAM**

**IN LATINUM CONVERTIT**

**NICOLAUS GROSS**



**LEO LATINUS**

## ECHUS VOCES

d. Lunae, 26. m. Febr. a. 2018 h. 17:21

**Prof. Dr. Wilfried Stroh**

Valahfridus Leoni suo s.

Admiror industriam et ingenium tuum. Nec dubito quin Epistulae tuae, quae minime displicent, multis utiles sint. Sed mihi homini uetulo tempus et otium non est, ut eas, prout dignae sunt, perlegam. Ergo dele me, quaeso, ex illo indice accipientium et scito me amare te non minus quam antea.

Vale.

**Leo Valahfrido suo s.**

Summas gratias tibi ago, o Valahfride maxime honorabilis, qui de Latinitate optime meritus es, quod tanta pausa interposita me dignaris epistolio Latine scripto. Tamen valde vehementerque doleo, quod me rogas, ut deleam nomen tuum ex indice Epistulas Leoninas accipientium.

Dicis quidem tempus et otium tibi non esse, ut eas perlegas. At quis umquam a te postulavit, ut quodcumque periodicum sive a te subnotatum sive tibi donatum a prima usque ad ultimam paginam totum perlegeres?

Similem querelam de abundantia Epistularum Leoninarum scriptam, proh dolor, iam accepi a Fidele Rädle. Nunc, care Valahfride, legas ea quae illi respondit Andreas Fritsch sodalis noster Berolinensis:

*"Praeterea dolet mihi, quod sodalis et amicus noster Fidelis Rädle, professor Latinitatis peritissimus, abundantiam epistularum Leoninarum queritur, quod sibi non satis temporis sit, ut eas legat. Nos enim omnes cottidie tantam multitudinem scriptorum et nuntiorum audibilium ac visibilium omnis generis accipere solemus, ut eorum solum particulam minimam eligere et diligenter legere possimus. Mihi quoque confitendum est me non omnes textus a te scriptos et missos legere posse. Tamen subinde admiror impigritatem tuam, qua etiam res difficiliore et difficillimas Latine exprimere studes et audes".*

Cum mihi persuasum sit Andream rem acu tetigisse, nihil habeo, quod addam, nisi opto ut pancratice valeas. Spero fieri posse, ut te mense Maio Roma in urbe revideam.

Medullitus te salutat

**Nicolaus Groß**



**Leo Latinus**

**József Kovács**

D.Mercurii, d.28 m.Feb a.2018 h.17:38

Optime Domine Gross,

admodum mihi perplacet dicacitas lepore et sale eleganter ac polite scripta !

Valeas quam optime !

Iosephus Faber

*„Procul dubio culpam istius frigoris inexpectati climatologisque incommodissimi contraxit Donaldus Trump. Aut Vladimirus Putin. Aut Victor Orbán. Aut Germaniae factio alternativa. Aut omnes isti vapulones, quos diurnarii nostri veritatis amantissimi verbis verberare numquam desinent.“*

## ECCE LIBRI LEONIS LATINI

*Permittas, quaeso, ut nuntium adiungam minus gratum: pretia discorum, qui a Leone Latino praebentur vendendi, ex decennio (sic!) non exaucta - proh dolor – nunc valdê augenda sunt (denis euronibus). Interim enim cum pretia materiarum quoque multo exaucta sint, tum praecipuê disci libellique discis subiungendi non conficiuntur neque involvuntur nisi magno cum labore.*

*Restat, ut afferam titulos pretiaque librorum typis impressorum, qui hōc tempore apud Leonem Latinum prostant venales:*

- |   |         |
|---|---------|
| 1) CRABATUS (Otfried Preußler, Krabat).....                       | 49,00 € |
| 2) FRAGRANTIA (Patrick Süskind, Das Parfum).....                  | 42,00 € |
| 3) RECITATOR (Bernhard Schlink, Der Vorleser).....                | 45,00 € |
| 4) HOTZENPLOTZIUS (Otfried Preußler, Der Räuber Hotzenplotz)..... | 25,00 € |
| 5) ARANEA NIGRA (Jeremias Gotthelf, Die schwarze Spinne).....     | 22,00 € |

*PARVUS NICOLAUS (René Goscinny, Le Petit Nicolas) non êditur in domunculâ Leonis Latini, sed in Aedibus Turicensibus, quae appellantur «Diogenes».*

*GLOSSARIUM FRAGRANTIAE et PERICULA BARONIS MYNCHUSANI – proh dolor! – sunt divendita. Utinam nobis contingat, ut aliquando edantur iteratis curis.*

*Habeas nos excusatos, quod situm interretialem (i.e. anglicê »website« nondum restauravimus novaque pretia ibidem nondum indicavimus.*

*Ceterum, cara Lectrix, care Lector, bene scias oportet Leonem Latinum non esse megalopolium, quo – ut ita dicam - rapidissimê eiectantur multae myriades librorum vilissimae, sed domunculam potius virtuaalem quam realem, in qua creantur κειμήλια, id est res parvae et rarae et carae. Res parvae enim sunt disci compacti aut libelli typis editi palmares; rarae sunt editiones, quae centuriam tantum complectantur exemplorum; carae sunt hae res omnes, quia cordi sunt Leoni Latino recordanti horas illas innumeras, quibus operam dedit illis creandis.*

*Cara Lectrix, care Lector, utinam omne opusculum a Leone Latino confectum sit Tibi KTHMA EΙΣ AEI.*



## INDEX DISCORUM LEONIS LATINI

NR	Num. mand a- telae	ISBN	TITULUS	AUCTOR	TRANS- LATOR	ANNUS	FORMA	AMPLI- TUDO	PRE- TIUM
1	00104	978-3-938905-00-5	FABELLA TEXTORIS VERSUTI PALAEOINDICA	Anonymu s (Old Indian)	Nikolaus Gross	2004	CD- ROM pdf	7 pp.	€ 17,90
2	00104 A	978-3-938905-15-9	FABELLA TEXTORIS VERSUTI PALAEOINDICA- Libri audibiles	Anonymu s (Old Indian)	Nikolaus Gross	2005	Audio	21 min.	€ 22,90
3	00204	978-3-938905-01-2	TRES FABULAE EDGARII ALLANI POE: CATTUS NIGER - RANUNCULUS - PUTEUS ET PENDULUM	Edgar Allan Poe	Nikolaus Gross	2004	CD- ROM pdf	33 pp.	€ 27,50
4	00304	978-3-938905-02-9	ANECDOTA REI PROXIMO BELLO BORUSSICO FACTAE	Heinrich von Kleist	Nikolaus Gross	2004	CD- ROM pdf	6 pp.	€ 17,90
5	00304 A	978-3-938905-16-6	ANECDOTA REI PROXIMO BELLO BORUSSICO FACTAE -Libri audibiles	Heinrich von Kleist	Nikolaus Gross	2004	Audio	6 min.	€ 20,90
6	00404	978-3-938905-03-6	MEMENTO MORI	Alexander Saxon	Nikolaus Gross	2004	CD- ROM pdf	7 pp.	€ 17,90
7	00404 A	978-3-938905-17-3	MEMENTO MORI - Libri audibiles	Alexander Saxon	Nikolaus Gross	2005	Audio	20 min.	€ 21,90
8	00504	978-3-938905-04-3	DE CRAMBAMBULO	Marie von Ebner- Eschenba ch	Nikolaus Gross	2004	CD- ROM pdf	14 pp.	€ 19,50
9	00604	978-3-938905-05-0	DE DINOSAURIS	Nikolaus Gross	-----	2004	CD- ROM pdf	16 pp.	€ 19,00
10	00704	978-3-938905-06-7	SUDATORIUM VENERIS	Diogenes Anaedoeu s	-----	2004	CD- ROM pdf	11 pp.	€ 19,50
11	00804	978-3-938905-07-4	PERICULUM FRANCISCI	Diogenes Anaedoeu s	-----	2004	CD- ROM pdf	7 pp.	€ 17,90
12	00904	978-3-938905-08-1	NUPTIAE ABDERITANAE	Bertolt Brecht	Nikolaus Gross	2004	CD- ROM pdf	21 pp.	€ 22,00
13	01004	978-3-938905-09-8	TESTAMENTUM REYNERI BERLBYN	Henricus van den Lande de	-----	2004	CD- ROM pdf	7 pp.	€ 17,50

				Raelt					
14	01104	978-3-938905-10-4	DE SANCTO NICOLAO DEQUE VIRO NATALICIO	Nikolaus Gross	-----	2004	CD-ROM	21 pp.	€ 22,00
15	01204	978-3-938905-11-1	FABELLAE GRIMMIANAE 1	Jacob Grimm/ Wilhelm Grimm	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	28 pp.	€ 24,90
16	00105	978-3-938905-12-8	ROMULUS MAGNUS	Friedrich Dürrenmatt	Nikolaus Gross	2005	CD-ROM pdf	49 pp.	€ 31,90
17	00205	978-3-938905-13-5	DE THILO CUSTODE FERRIVIAE	Gerhart Hauptmann	Nikolaus Gross	2005	CD-ROM pdf	28 pp.	€ 24,90
18	00305	978-3-938905-14-2	HISTORIA AGATHONIS (LIB.1)	Christoph Martin Wieland	Nikolaus Gross	2005	CD-ROM pdf	15 pp.	€ 19,50
19	00405	978-3-938905-19-7	WERTHER IUVENIS QUAE PASSUS SIT	Johann Wolfgang von Goethe	Nikolaus Gross	2005	CD-ROM pdf	82 pp.	€ 38,90
20	00505 A	978-3-938905-22-7	CICERONIS ORATIONES IN CATILINAM HABITAE 1 – Libri audibiles	M.T. Cicero	-----	2005	Audio	40 min.	€ 21,90
21	00605 A	978-3-938905-18-0	SOMNIUM SCIPIONIS A CICERONE SCRIPTUM – Libri audibiles	M.T. Cicero	-----	2005	Audio	30 min.	€ 20,90
22	00705 A	978-3-938905-23-4	CAESARIS BELLUM GALLICUM 1 – Libri audibiles	C.I. Caesar	-----	2005	Audio	55 min.	€ 22,90
23	00106	978-3-938905-21-0	AUTOBIOGRAPHIAE LATINAE	Nikolaus Gross	-----	2006	CD-ROM pdf	87 pp.	€ 48,00
24	00206	978-3-938905-20-3	DISQUISITIO CHEMICA ACIDULARUM BERGENSIUM ET GOEPPINGENSIUM	Karl Friedrich Kielmeyer	Nikolaus Gross	2006	CD-ROM pdf	66 pp.	€ 38,00
25	00306 A	978-3-938905-24-1	CAESARIS BELLUM GALLICUM 2 – Libri audibiles	C.I. Caesar	-----	2006	Audio	61 min.	€ 22,90
26	00406 A	978-3-938905-25-8	CICERONIS ORATIONES IN CATILINAM HABITAE 2 – Libri audibiles	M.T. Cicero	-----	2006	Audio	41 min.	€ 21,90
27	00506 A	978-3-938905-26-5	EPISTULAE A SENECA AD LUCILIUM SCRIPTAE 1 – Libri audibiles	L.A. Seneca	-----	2006	Audio (2 CDs)	88 min.	€ 27,90
28	00107 A	978-3-938905-27-2	ASINUS AUREUS AB APULEIO SCRIPTUS	Apuleius	----- --	2007	Audio	55 min.	€ 23,90
29	00207	978-3-	OBSIDIO SAGUNTI A	Livius	-----	2007	Audio	53 min.	€ 23,90

	<b>A</b>	<b>938905-28-9</b>	<b>T.LIVIO DESCRIPTA</b>						
<b>30</b>	<b>00307</b>	<b>978-3-938905-29-6</b>	<b>FABELLAE GRIMMIANAE II</b>	Jacob Grimm/ Wihelm Grimm	Nikolaus Gross	2007	CD-ROM pdf	58 pp.	€ 32,90



**CARA LECTRIX, CARE LECTOR, BENE VALE,  
USQUE AD SEPTIMANAM PROXIMAM !**

**HANC EPISTULAM LEONINAM  
CENTESIMAM QUINQUAGESIMAM SEXTAM  
SENDEN IN OPPIDULO BAVARIAE SUEBICAE PERFECIT**



**Die Dominicâ, 04. m.Mart. a.2018**

**Nicolaus Groß**  
Sodalis Academiae Latinitati Fovendae



**LEO LATINUS**

**<http://www.leolatinus.de/>**